

latione, in sacramenti obligationibus insistendum est, quo tantum ecclesiasticus ritus eiusque genuina significatio haud pessumdat. Orationes quaedam quae uti auspications [toasf] in conviviis solitae sonant, a sacerdotibus inter missam vel matrimonii benedictionem audire, mirum sane est!

393. — Peractis omnibus nuperimo ex jure praescriptum est:

I. Celebrato matrimonio, Parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit¹.

II. Praeterea Parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii Parochus notitiam initi contractus ad Parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur².

III. Quoties matrimonium in mortis periculo, vel sacerdote deficiente contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut illud in praescriptis libris quam primum adnotetur³.

IV. Celebrati matrimonii denuntiatio ad baptismi Parochum transmittenda coniugum eorumque parentum nomina, agnominata descripta secumferat, aetatem contrahentium; locum deinde nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnominata, habeatque Parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portiores tuto transmittenda pertinent.⁴

V. Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis de quibus n. IV, baptismi Parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium alios nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit Parochio attentati matrimonii⁵.

VI. Ordinarii sedulo ad vigilem ut haec praescripta religiose serventur, et transgressores, si quos invenerint, current ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis⁶.

VII) Parochi qui heic [nimirum quae in *Ne temere* continentur] hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Insuper si aliquis matrimonio adstiterint quin de libero contrahentium statu, et eo deficiente, quin Ordinarii vel Parochi proprii alterutoniis contrahentis veniam obtinuerint emolumenta stola sua ne faciant, sed proprio contrahentium Parochi remittant⁷.

394. — Ut plurimum, matrimonio peracto, parentibus ac amicis festantibus, ad convivii locum properatur, quo et sacerdos invitatur; sed, nisi urbanitatis causa obstet, haud accedendum esse, plurimi recte consulunt.

¹ Decret. *Ne temere* cit., ad 9, § 1.

² Id., § 2.

³ Id., § 3.

⁴ S. C. Sacram., 6 mart. 1911. — Cfr. paradygm. XXXI ad vol. calc.

⁵ Id. Ibid.

⁶ Id. Ibid.

⁷ Decret. *Ne temere* ad X.

Si, enim, omnibus in conviviis plura quae ecclesiasticum dedecent statum habentur, in nuptialibus praesertim, in quibus haud semper quae ipsum decent percipi consuescant. His si Pastor taceat nec applaudat, ut ingratus, inurbanus efficitur; si vero secus, suum pastorale ministerium suspicionibus velat. Quapropter, dum circumstantiae sinunt, ab his sese abstinere conviviis praestantius erit; quo tantum sibi ac pastorali ministerio apte consultum erit. — Quantum, insuper, his in adjunctis canere versibus, quae minus recta sunt [in vini aestu] publice, vel privatim tum dictis, tum factis praebere et similia, ecclesiasticum dedeant statum, adeo cunctis in comperto est ut qui recte sapient haec omnia sollerter devitabunt.

§ VIII. — De quibusdam matrimoniorum speciebus.

SUMMAE RERUM. — 395. Animadversiones praeviae. — 396. De matrimonii mixtis in genere. — 397. Quae in re a Pastore praestanda. — 398. De conscientiae matrimonio quoad canones. — 399. Quoad pastorales industrias. — 400. De matrimonio morganatico. — 401. De matrimonii in extremis quae a nuperimo jure edicantur — 402. Pastorales in re normae.

395. — Tandem et de quibusdam aliis matrimonii peculiaribus in contingentibus peragendis quae in pastorali ministerio facilis haberi possunt dicendum superest, quae, quamvis rara, attamen peculiarem Pastoris sollicitudinem et curam postulant. Quapropter in primis et ante omnia, de mixtae religionis matrimonio, de alio conscientiae ac morganatico deinde, ac tandem de illo in extremis opportuniora in medium proferemus.

396. — Quoad mixtae religionis connubia, ut qui hoc vinculo coniunguntur, non solum coniugali nexu, sed etiam religionis sensu, una caro, unum cor et una quasi anima sint [quo et mutuae sibi aedificationi esse, et filios in Dei timore, communis studio, educare valeant] matrimonium ex sua institutione postulare, animadvertisendum est. Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris¹, perbelli D. monet Ambrosius. Si hoc in aliis, quanto magis in coniugio, ubi una caro et unus spiritus est. Quomodo autem potest congruere caritas, si discrepet fides? Et ideo, cave christiane gentili aut iudeao filiam tuam tradere; cave, inquam, ne gentilem aut iudeam atque alienigenam, hoc est haereticam et

¹ Cfr. II, Reg. XXII, 27: *Psalm. XVII*, 27.

omnem alienam a fide tua uxorem arcessas tibi. Saepe illecebra mentis mulieris, decepit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. Primum, ergo, in coniugio religio quaeratur¹. Nihil, enim, a nuptialis vinculi indole magis discrepat, quam ut fideles cum alienis a fide connubium ineant. Catholica, itaque, Ecclesia, mixtas eiusmodi nuptias adeo semper detestata est, et ut maxime perniciosas prohibuit ac improbat. Illam vero filios suos avertere ac deterre ab iisdem nuptiis iungendis numquam destitisse, perantiqui Conciliorum canones et repetitae Romanorum Pontificum sanctiones plane demonstrant. — Sanctae huius severitatis rigor maximis gravissimisque innititur rationibus. Nam, praeter flagitosam in divinis communionem quam coniugia ista prae se ferunt, animarum saluti damna non minima ex eis impendunt, tum ob amittendi fidem vel prorsus in ea frigescendi periculum, cui catholica pars obiicitur, tum propter pravam sobolis institutionem, quae, nisi vel ex proposito in errorem inducatur, diversis tamen parentum conatibus et exemplis, huc illuc iactata, non raro in tristissimo indifferentiae religiosae discrimine versetur oportet.

397. — In tanti momenti negotio omni ope ac studio animarum Pastoribus agendum est:

a) *ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis, in propriam animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterrant, easdemque nuptias omni meliore modo intervertere atque efficaciter impedire satagant².*

b) *Itaque Parochi, tam publicis quam privatis sermonibus [omni tamen cum discretione, caritate ac mansuetudine] doctrinam Ecclesiae de mixtis connubiis opportune proponant, ne unquam fiat ut, ob ipsum negligentiam, ac si nil haberent deformitatis, illa a fidelibus respiciantur.*

c) *Quos de talibus contrahendis nuptiis cogitare noverint, ne id exsequantur sedulo moneant atque adhortentur.*

d) *Neque ipsum Parochorum monita adhortationesque facile irrita erunt si, verum Dei cultum unice in Catholica Ecclesia reperiri, ac fidem unitatemque catholicam tamquam unicam salutis viam servandam omnino esse et custodiendam, in fidelium cordibus alte defixum maneat³.*

¹ *De Abraham*, lib. I, cap. 9, n. 84.

² Benedict. XIX in declarat. C. Magnae

nobis; [29 jun. 1748]; 4 nov. 1741 — Cfr.

Pium VIII, *Ad Arch. Colon.*, 25 mart.

³ Cfr. *Synod. Prov. Ultrajectensis*, [1865] 1830, tit. IX e XIII.

e) *Quoad horum matrimoniorum celebrationem:*

I. *Matrimonia mixta, obtenta etiam dispensatione, celebrari debent omissis publicationibus⁴, sine benedictione, ritu, veste sacra, et extra ecclesiam⁵; attamen, si inde graviora mala timeantur, fieri possunt in ecclesia, juxta Rituale dicessatum, cum licentia Episcopi, exclusa semper cujusve Missæ celebrationē⁶.*

II. *Si dispensatio non habeatur, aut pars haeretica nolit promittere educataram se in catholica religione omnes nascituros, Parochus abstinere debet a quocumque interventu⁴, nisi Ordinarius judicaverit magis expedire coram Parocho celebrari matrimonium quam coram ministello acatholico, ad quem alias facile sponsi convergent⁵. Si consensum antea praestitum coram ministello haeretico, sponsi renovare velint coram sacerdote catholico, is tali matrimonio non intersit, nisi servatis servandis, et nisi pars catholica, facti paenitens, absolutionem a contractis forte censuris prius obtinuerit⁶.*

f) *Tandem si, in peculiari casu, gravibus accidentibus rationibus, dispensatio ab Apostolica Sede petenda videatur, cautionum omnium instrumentum in quo de filiorum omnium catholica institutione statuatur, sponsorum, duorum testium ac ipsius Parochi subscriptione, necnon paroeciae sigillo confirmatum, redigendum est ac, ut plurimum, et Ordinario mittendum erit⁷. Ut vero huic conditioni Parentes obsequantur, advigilabit Pastor.*

398. — *Quod ad matrimonium conscientiae spectat, sequentia iuris principia prae oculis Pastor habeat:*

In rarioribus circumstantiis permittere potest Episcopus occultam celebrationem matrimonii [quod dicitur matrimonium conscientiae], præmonitis tamen conjugibus de eorum obligationibus erga prolem futuram quoad baptismum, educationem religiosam, legislationem et bonorum temporalium fruitionem. — Adsistit proprius Parochus aut sacerdos legitime delegatus ab Ordinario. Diligenter attestatio celebrati matrimonii scriptis, non in Paroeciae regestis, sed in libris secretis Cancelleriae episcopali asservatur⁸. — Testes omnes sub gravi tenentur lege secreti, quod numquam, nisi urgente necessitate, [v. g. periculo scandali, gravi detimento prolis, etc.] debet violari.

399. — *Qua in re animadvertisendum est:*

a) *Ad hoc deveniendum matrimonium non satis est quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgentissima⁹ ab Episcopo adprobanda.*

b) *Sub publicandi matrimonium intimatione, serio coniuges admonendi sunt, ut intra triginta dies a suscepta prole, eidem facta baptismi collatio episcopali Curiae denuntientur.*

¹ Pius VI, *Ad Card. De Frankenberg*, 23 jul. 1782. — Cfr. attamen Gregor. XVI *Ad Episcop. Bavar.* 17 sept. 1834.

² Pius VI, *ad Episcop. Mechlin.*, 13 jul 1783; S. Offic., 15 nov. 1838.

³ Instruct. *Etsi Sanctiss.*, 15 nov. 1858.

⁴ S. Offic., 7 jun. 1829; 21 jul. 1880.

⁵ Gregor. XVI, Instruct. *Ad Episcop. Hungar.*, 29 april. 1841.

⁶ S. Offic. 17 febr. 1864; S. Poenitent. 22 mart. 1870. — Cfr. *Instruct. Secret. Status De matrim. mixtis*, 15 nov. 1858.

⁷ Cfr. *paradygm. XXXII-XXXIII ad vol. calc.*

⁸ Cfr. *paradygm. XXXIII*, *ibid.*

⁹ Benedict. XIV, *Satis nobis*, 27 nov. 1741.

c) Graviter ipsi admonendi sunt, ut tum spirituali, tum hereditario futurae prolis bono consulant.

d) Statis ac matrimonium celebratum fuerit Parochus vel sacerdos, qui cum debita episcopalni venia illi intersuit, celebrati matrimonii testimonium confidere tenetur¹, ad episcopalem Curiam statim transmittendum ubi, a fidatissima persona, in peculiari ad hoc regesto confecto [sigillis obfirmando, ac tutissimo in loco servando] transcribitur.

e) Ex huiusmodi matrimonio suscepta proles, suppressis vel fictis parentum nominibus, in propria paroecia, ut plurimum, baptizanda offertur. At, ut mox monuimus [sub dicta publicitatis intimatione] intra triginta dies a nativitate, parentes apud Curiam episcopalem per se aut per [proprio charactere], exaratas litteras, vel per fide dignam ab ipsis designatam personam, ea omnia quae ad eam prolem indicandam et identificandam tamquam propriam [quae tali in loco, tempore, reticitis aut fictis parentum nominibus baptizata fuit] necessaria sunt, [in peculiari alio Curiae regesto transcribenda] exponere tenentur².

400. — Quamvis matrimonia morganatica cum illis conscientiae confundere multorum sit, attamen prima a postremis plurimum differunt. Enimvero matrimonium morganaticum, quamvis cum bannorum dispensatione locum habeat, attamen in facie Ecclesiae contrahitur ea tantum conditione ut uxor ac nascitura prolis de his bonis quae ante matrimonium assignatur, vel quae pater vivens iuxta leges donare, vel moriens qua extraneis ipsis legare potest contenti, paternam hereditatem, nobilitatem, civiles honorificentias, coeteraque hereditaria eius iura omnino amittant³. — In praxi, hoc matrimonii genus perraro habetur; contrahitur, enim, a nobilioribus aut Principibus tantum qui, postquam ab aequo nobili et vita functa uxore prolem suscepint, alteram humilioris condicionis uxorem ducunt, quae, una cum filiis, civilibus iuribus — ex mariti conditione in ipsam derivantibus nullo modo participis efficitur. Plurima, igitur, de re verba facere nostri non est.

401. — Quoad matrimonium in extremis, illud, nimirum, quod duos inter concubinarios in mortis agone contrahitur, ut alteruter animae suae consulat, nuperrimum jus edicit:

I. Etiam post decretum *Ne temere*, imminentे mortis præculo, ubi Parochus vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatos haberi nequeunt, sacerdotem quemlibet coram duobus testibus valide ac liceite matrimonio adsistere posse ac in iisdem rerum adiunctis, [si sacram presbyteratus ordinem et affinitatem lineae rectae ex

¹ Cfr. paradygm. XXXIII ad vol. calc.

² Cfr. Berengo, *Op. cit.* n. 141.

copula licita excipias] super impedimentis dirimentibus omnibus etiam publicis a iure ecclesiastico dispensare, statutum est⁴. Haec facultas extenditur etsi alia causa ad consulendum conscientiae adsit, et [si casus ferat] et ad legitimandum prolem⁵.

II. In praefato decreto comprehenduntur etiam Parochi, etsi non fuerint, ad normam declarationis S. Officij⁶, habitualiter subdelegati a propriis Ordinariis⁷.

402. — Hisce praehabitis, quomodo cum his concubinariis in mortis agone positis Pastor se habere possit, recolendum. Sint itaque:

I. Si de publico agatur concubinatu, matrimonii celebrationem statim urgeat Parochus. Enimvero dummodo infirmus, nisi prius perfecta sint quae temporum angustiae non sinunt, ad mulierem haud accessum esse promittat, hoc in adiuncto, a *status liberi* testimonio, et denunciationibus per bannis faciendis, benigne dispensat Ecclesia. Praesertim vero si prolem suscepint concubinarii, et de civili contractu peragendo sollicitus Pastor sit; quo in adiuncto pluribus in Gentibus neque civiles leges communes formalitates requiri sciatur. — Si vero pars sana recuset, vel tale impedimentum habeatur quod neque per facultates superius memoratas⁵ tolli potest, vel infirmus ipse aequa iusta de causa matrimonium inire detrectet, nil quam concubinam dimittere superest. Quae si vero a domo discedere nolit, tunc, ut sacramentalem absolutionem infirmo impetriri liceat, se mulierem repulisse, et ad omnia resarcienda damna si quae ex concubinatu provenirent, promptum se habere, eamque si domi remaneat, per vim ac contra suam voluntatem esse, coram testibus declarare infirmus debet.

II. Si de adeo occulto agatur concubinatu ut a communione legitimi uti coniuges habeantur, si rem ex confessione Parochus sciverit, facultatibus sibi factis et superius recensis utendo, duobus ac probatissimis coram testibus occultissime eos in matrimonio iungat et quae ad prolem legitimandam necessaria sunt, statim Parochus præstet. Qua in re, si unius, vel alterius, vel utriusque nomine suppresso, filii baptizati fuerint, vel scripto vel coram ipsis matrimonii testibus, declarationem exigere Parochus tenetur ex qua illos et illos pueros tali die, loco et nomine baptizatos, proprios aegri eiusque novae uxoris, esse filios, constet⁶. — Si vero, ex supradictis caussis, matrimonium

¹ S. C. Sacram. in *Parmen.*, 14 maj 1909. — Cfr. Leo XIII S. Offic. 20 febr. 1888.

² Ead. in *Venetiar.*, 16 aug. 1909.
³ 9 jan. 1889.

⁴ S. C. Sacram. in *Romanæ et aliar.*, 29 jun. 1910.

⁵ Cfr. S. C. Sacr. cit.

⁶ Cfr. paradygm. XXXIV ad vol. calc.

contrahere non possit, tunc de sua resipiscentia infirmus concubinam moneat, cui ne saltem ab infirmi cubiculo quantum rei natura patitur, accedat, secreto eam admonebit Pastor.

III. Quae de concubinario hucusque locuti sumus, mutatis mutandis, etiam de **concubina** in mortis periculo posita iteranda sunt. In quo, tamen, quaedam peculiaria et facile subintelligenda, obstacula haberi possunt de quibus dicere rerum moralium Doctorum est. Communes, enim, tantum pastoralis ministerii casus, eosque urgentes, re-coluimus heic.

§ IX. — De matrimonii revalidatione, ac de coniugum separatione.

SUMMAE RERUM. — 403. Quoad matrimonii revalidationem quae canones edicant. — 404. De boni Pastoris in familiaribus discordiis opera, et harum caussae ac genesis quae. — 405. De coniugum separatione canonicae normae. — 406. Pastorales in re industriae quae.

403. — Quoad matrimoniorum revalidationem, quae habetur quum illud iam antea initum, invalidum deprehenditur postea, sequentia sacri iubent canones²:

I. Matrimonio nulliter contracto quam citissime præstat congruum affere remedium; siquidem est, materialiter saltem, merus concubinatus. — Habita notitia nullitatis, omnino conjugibus est a re matrimoniali abstinentum; sed cautissime hæc notitia debet ignorantibus injici, et non nisi cum de separatione sufficienti atque de congruo futuro remedio solida spes affulgeat.

II. Tria in primis confessario aut Parocho sunt immediate præstanda, quorum simul ulteriores omnes effectus et consequentias debet prævidere antequam manum operi admoveat: A) monitio coniugum, B) eorum separatio, C) procuratio remedii. Ad rem:

a) Quoad monitionem conjugum: stante bona fide utriusque vel neutro conscientia nullitatis, 1º si neutra pars potest moneri, relinquuntur conjuges in bona fide, etiam cum impedimento juris divini; 2º si utraque pars potest moneri, monitio fiat et remedium afferatur; verum, si eligitur via «revaliditionis», expedit ordinarie ut nonnisi debita obtenta dispensatione moneantur; 3º si una pars tantummodo potest moneri, non fiat hæc monitio ubi matrimonium non est revalidabile; sin autem revalidabile, petita et obtenta dispensatione, moneatur. — Quandonam «jure positivo» requiratur certioratio nullitatis, idest monitio alterius conjugis ignorantis nullitatem, infra dicetur, ubi de «renovatione consensus».

b) Quoad separationem conjugum hæc sunt tenenda: 1º si nullitas sit publica, separantur publice conjuges si possibile, et statim publice matrimonio remedium idoneum præbeatur [declaratio nullitatis, revalidatio]; 2º si nullitas sit o-

² Cfr. DD. cit.

culta, a) si uterque est conscious nullitatis, separantur conjuges saltem quoad torum, et impetratur dispensatio, vel ad declarationem nullitatis in forma debita procedatur; b) uno tantum conscientia nullitatis, moneatur altera pars, si possibile, et separantur conjuges, usquedum obtineatur dispensatio, vel, si altera pars nequeat moneri, pars conscientia nullitatis abstineat ab usu matrimonii, et celerrime obtineatur dispensatio [«simplex» vel «in radice»] juxta casus; c) neutro conscientia nullitatis, procedatur ut supra; 3º stante dubio de nullitate, instituatur inquisitio et, habita certa notitia impedimenti, iterum ut supra procedatur.

c) Quoad electionem remedii, dato matrimonio nulliter contracto, quadruplex possibilis ineunda via superest: 1º ut cohabitent conjuges tamquam frater et soror, quad vix possibile videtur in praxi; 2º relinquuntur conjuges in bona fide; 3º declaratio nullitatis a judice ecclesiastico obtineatur; 4º revalidetur matrimonium, quod ordinarie in primis videtur esse tentandum.

III. Pro revalidatione, si hæc via, ut fieri solet, eligatur, tria sunt præstanta: A) sublatio impedimenti quod ab initio validitatē contractus obstitit, B) renovatio consensus, ubi requiritur, C) renovatio formæ Tridentinæ. Ad rem:

a) De sublatione impedimenti hæc sunt tenenda: illud generaliter in matrimonio convalidando sanari debet vitium, quod prius validitatem ejus impeditivit; ideo juvat hæc in memoriam revocare: quædam impedimenta absolute non sunt, dispensabilia, — quædam non indigent dispensatione, — quædam debita dispensatione possunt removeri. Itaque:

1. In impedimento absolute indispensabili, nullum, ut patet, superest remedium revalidationis, et tunc, una e tribus prioribus viis supradictis eligatur, si possibilis; secus, nihil faciendum.

2. In impedimento quod potest cessare ex se, absque dispensatione [ætas, defectus consensus, impotentia, ligamen, raptus], ipsi conjuges tollant impedimentum vel eius naturalem cessationem exspectent.

3. — In impedimento dispensabili, etiamsi in ipso non soleat Papa dispensare, propter rei gravitatem petitur dispensatio, quæ vel in forma «simplici» ordinaria, vel, ut aiunt, «in radice» potest concedi. Ad rem:

a) — Dispensatio simplex conceditur quando caetera de jure requisita quoad monitionem conjugum et canonicae renovationem consensus possunt obtineri. Dispensatio in radice¹, fictione juridica, retrotrahitur ad instans quo matrimonium fuit contractum, et, pro eo instanti, insciis etiam conjugibus, tollit impedimentum juris ecclesiastici quod matrimonii validatem impeditivit. — Rarissime conceditur pro foro externo. Ad rem:

1. — In libello supplici dispensationis simplicis aperiri debet: a) an oratores [unus vel uterque] bona vel mala fide inierint matrimonium, scientes, nempe, aut ignorantibus impedimentum; b) si mala fide, an illud contraxerint intentione faciliter obtinendi dispensationem; c) an premissis denuntiationibus et juxta formam Tridentinam ac decreti *Ne temere*² contraxerint; d) an matrimonium fuerit consummatum cum bona vel mala fide, saltem unius partis.

2. — In libello supplici dispensationis in radice, insuper, requiritur testimonium de adimplitis conditionibus necessariis ad obtinendam dispensationem, videlicet: a) ut conjunctio habuerit veram «figuram et speciem extrinsecam matrimonii»:

¹ Benedict. XIV, *Etsi pastoralis*, 27

sept. 1755.

² 2 august. 1907.

b) ut consensus utriusque jure naturae fuerit ab initio validus et hactenus perseveret; c) ut adsit gravis causa et urgens ratio dispensandi; d) utraque parte, vel alterutra, vel neutra conscientia nullitatis.

3. — In utroque casu, acceptu rescripto dispensationis, caute et stricte adim pleri debent speciales clausulae rescripto apposita, quae variae sunt prout nullitas matrimonii fuerit publica, vel occulta.

b). — De renovatione consensus¹ haec sunt tenenda: stricto « jure naturae » consensus ab initio validus et adhuc perseverans non indigeret renovatione, atque ideo matrimonialis contractus [qui tamen aliter fuerit invalidus quam ex vitio consensus] sublatu impedimento, statim convalesceret. — Attamen « jure positivo » haec renovatio, praemissa certioratione de nullitate matrimonii, communiter in rescriptis sanationis sub pena nullitatis exigitur. — Non una tamen est agendi ratio in omnibus casibus. Enimvero:

1. Si nullitas utriusque parti nota sit, utraque novum et a priori independentem consensum debet praestare.

2. — Si nullitas uni tantummodo parti nota sit, si impedimentum hanc solam partem afficiat [disparitas cultus, ætas, error de statu servili] sufficit ab ipsa renovari consensum, alterius insciæ consensu perseverante.

3. — Si impedimentum sit utriusque commune, aut saltem graviter alteram etiam partem afficiat [consanguinitas, affinitas, crimen] alteri manifestatur, quantum fieri potest, nullitas matrimonii, [non autem ipsa causa nullitatis, si sit ex delicto], ut obtineatur saltem æquivalens renovatio consensus, de quo vide probatos Auctores Theol. moralis. — Quod si omnino impossibile appareat, tunc vel petatur dispensatio in radice, — vel dispensatio a clausula de certioratione alterius partis et de renovando ejus consensu, — vel, in extrema necessitate, quo meliori poterit modo, sola pars conscientia nullitatis suum consensum renovabit².

c). — De renovatione formæ Tridentinæ³, haec sunt tenenda: requiritur renovatio consensus cum forma Tridentina, in locis ubi viget decretum Tametsi: a) si publica est nullitas matrimonii; b) si prius hec forma fuit omissa; c) si, occulta quidem de facto, sed de jure publica est nullitas, quia, videlicet, oritur ex impedimento quod dispensationem in foro externo valet recipere. — Publica esse debet iteratio consensus coram Parocho et testibus in primo casu; in aliis, immo quandoque etiam in primo, remoto scando, secreta permittitur ad prudentiam Episcopi. In re:

1. — Non requiritur forma Tridentina si partes domicilium habentes in loco ubi non viget decretum Tametsi renovant consensum, praexistente tamen in ipsis notitia de nullitate prioris contractus.

2. — Quoad decretum *Ne temere*, quae pag. 442, sub. n. I et II in primo comma recoluimus, a Parocho secreto praestentur.

3. — Ubi vero, propter repugnantiam conjugis vel conjugum, nequit ab ipsis obtineri renovatio consensus coram Parocho et testibus, nullum superest remedium nisi ut obtineatur, juxta diversitatem casuum, vel dispensatio in radice⁴, vel dispensatio specialis a lege Tridentina.

404. — Pastor ille qui, celebrato matrimonio, desponsatos erga se functum officio existimaret, omnino profecto falleretur. Non minus, enim,

¹ Instruct. Card. Caprara, 25 april. 1803.

² S. Alph. 1116, Lehmkühl, 825.

³ Bucceroni 123, D'Annibale, III, 483

⁴ Cfr. documentum XXXV ad vol. calc.

quam nupturientibus olim, abhinc iam coniugio iunctis, et quandoque patribus matribusque familias futuris, pastoralem operam impendere ipse tenebitur. Qua in re eius pastoralia officia, saepe numero, gravissimis offendunt difficultatibus, quibus tamen sollerter ac peropportune obviam ire, omnino pernecessarium. Igitur:

a) In primis et ante omnia ut christianas inter familias concordia in columis servetur, prudenter quidem, at omni contendat nisu. Pastor Bonus: quum tum sponsorum pax ac bona paroeciae aedificatio, tum recta filiorum institutio ipsa tantum assequi liceat. Enimvero ubi maritus, vino, alcoholismo coeterisque indulget vitiis, familiae bona misere disperdit, ac auctoritatem suam adeo dispotica quadam ratione in mulierem exaggerat ut non vitae sociam, sed mancipiam habeat, genuinum purgatorium erit. — Quando vero et mulier, jalouisia, insubordinatione ac contumacia correpta, locum marito debitum usurpare contendit, et, quod sane peius ac nunquam satis deplorandum, natos quoque suos adversus maritum patremque incitare nititur, vera est illius imago inferni, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat¹. Non est, enim, *ira super iram mulieris!*² — Quo in negocio quid Parocho suadendum est? Effato illo monente: *virum uxoremque inter, ne digitum quidem porrugas*³, ardua quidem responsio est. Attamen aliquid in re, ut plurimum, agere ipse potest, et, si quando discordia flagraret, in primis ut pax instauretur, comiter, prudenter ac sedulo se habeat. Meminerit vero, ut plurimum, haud uni tantum parti iniuriam vel rectam caussam insidere; contendentes, enim, inter perraro id contingit. Insuper quo semine hae dissensiones, ut plurimum, oriuntur haud ignoret. Nimurum:

I. Ex mariti parte saepe jalouisia, infidelitas, pecuniae emolumenta, animi impetuositas in causa sunt.

II. Ex mulieris autem, praeterea, infirmum iudicium, ac physicae quaedam infirmitates [hysteria, vaginismus, nymphomamia] imperii impatientia et contumacia tam lacrymabilem fructum efferunt.

III. Quibus et extrinsecæ causæ saepius accedunt, ut perfidae linguae, epistolæ anonymæ, iniuriosæ missivæ [*cartoline illustrate Aussicht-Postkarten, Cartes postales illustrées*] dishonestæ saltationes, spectacula, et mariti falsi invidique amici. Exinde, enim, primum dubium ac edax suspicio, dein secretus livor ac aversio, ac, tandem, [incitante ira] iurgia diutinaeque discordiae exoriuntur.

¹ Job. X, 22.

² Ecclis. XXV, 23.

³ Italice: *fra moglie e marito non*

stà porgere il dito [Prov. Toscano].